

Q. N.  
513  
28  
N. N. 400.  
R. 75, 27

523

DISSERTATIUNCULA

DE ABOMINANDA BARBARIE,  
QVAE REM LITTERARIAM ANTE LUTHE-  
RI TEMPORA FOEDA VERAT,

IIa  
670

<sup>QVA</sup>  
PLURIMUM - VENERABILE  
AMPLISSIMORUM

DNN. INSPECTORUM  
COLLEGIUM, (X1853700)

DOCTOSQUE OMNEIS  
M. JOHANNES SEBASTIANUS Mit-  
ternacht / ILLUSTRIS RUTHENI  
RECTOR,

UT

GEORGII DIETERICI PFLUGII,  
EQVITIS MISNICI,  
ORATIONEM

D. LUTHERI ET B. GERHARDI

MEMORIAE AC LAUDIBUS SACRAM,  
CRASTINAQUE LUCE  
SUB IPSUM SECUNDAE POMERIDIA.

NAE AUSPICIIUM  
PUBLICE RECITANDAM,  
BENIVOLI, FREQUENTESQUE ET FAVENTES  
AUDIRE DIGNENTUR,  
SUBMISSE, OFFICIOSE ET AMICISSIME  
ROGAT ET INVITAT.

GERÆ,  
PRÆLO HÆRED. MAMITZII,







Ravissimae profectò causae sunt, quamobrem hoc tempore non Ecclesiasticas dumtaxat, sed Scholasticas quoque cathedras animare Summi Numinis laudes debeant. Si enim fastos replicamus, & evolvimus Calendaria, occurret illicò die perendino, utpote IIII. EID. Novembr. D. Lutheri, eodem, & anno quidem epoches Christianae, cō CCCCXXCIII. nati, memoria. Quo itaq; majora sunt & ampliora, quae per B. Viri operam sanctissimam orbi Christiano beneficia Deus contulit, hoc certè majores amplioresq; largitori laudes debemus & gratias, eoq; eniti, ut nostris, rudioribus cumprimis, & historiarum nondum gnaris, quis fuerit Lutherus, innotescat: ne putidissimis Papaeorum commentis, frigidissimisq; de Luthero fabulis transvorsum, & extra veri pomoeria rapiantur. Quis n. paulò peritior ignoret, totos in hoc esse rancidos illos claustrorum greges, ut non doctrinam tantum, quam è venerandis Scripturae *θεοπνεύς* tabulis erutam Lutherus instillavit, sed hujus etiam personam, si non exosam aut invisam omnibus, quibusdam tamen suspectam efficiant. Modò n. ex incubo Satana, (a) & balneatoris cujusdam famulà, (b) modò è Diabolo, sub gemmarii specie cum civis cujusdam Witebergensis filià mixto, (c) ortum traxisse Lutherum sine fronte, & mendacissimè nugantur. Gaultherus in tabulis chronologicis (d) haec erucltare non erubescit, Fridericus Staphylus, inqviens, Lutheranismum eò abjecit, quod suis oculis vidisset, Lutherum à Diabolo verberibus tunc exceptum, cum energumenam liberare niteretur; & ita quidem exceptum, ut, intercluso à Daemone ostii exitu, semi-

(a)  
R. estius in  
Pseudojubil.  
Job. Naso in  
Cent. Evang.  
verit. Gene  
brardus in  
Chron. l. 4. p.  
1105. Gresser  
us in Luth.  
Acad. cap. 26.  
p. 298.

(b)  
Serarius cap.  
VI. Tob. 9. 4.

(c)  
Job. Wierus  
de praestig.  
Daem. lib. 3.  
c. 23.

(d)  
fol. 378.





mortuus per fenestram fuerit extrahendus. Et Cornelius à  
Lapide, Jesuita famosissimus, (e) ista effutit: Lutherum,  
cum vesperi lautè coenasset, noctu desperatione & Furiis  
Daemonum actum, sibi injecto laqueo necem intulisse, ad-  
seruit ejus famulus, postea ad orthodoxam fidem conver-  
sus, uti refert Thomas Bozius de Signis Ecclesiae. Sic de-  
bacchatur in manes Lutheri cornutus ille Cornelius. Bel-  
larminus itidem, ne quid deesse videatur Romanorum im-  
pudentiae, abjectâ omni pudoris ratione, ita ineptit ac de-  
lirat: (f) Lutherus, quamvis viventi miracula non succes-  
serint, idem tamen post mortem miraculo insigni claruit.  
Nam ejus cadaver, cum deferretur in mediâ hyeme, quo  
tempore corpora mortua in multos dies conservari solent,  
& esset inclusum in arcâ stanneâ, optumè clausâ, ut Wite-  
bergae sepeliretur, tam tetrum odorem spirare coepit, ut  
nemo eum (id) ferre potuerit, & proinde coacti fuerint,  
corpus relinquere in itinere. Haec sunt purpurati patris, fortasse tum  
sebricitantis, somnia, tam scil. putida & putrida, foetidaq;, ut mirum  
videri possit, esse homines, qui ex Italia in Germaniam ferre cadavera  
haec verborum potuerint, neq; ob foetorem in Tyberim illic abjece-  
rint, undis sepelienda, pestemq; ac perniciem gregi squamigero illa-  
tura. His scilicet fursuribus pingvescunt sues: hisce stercorebus mi-  
rificè oblectant se mutuo scarabaei. Nostrum non est, vel verbulo  
dignari isthaec mendaciorum monstra ac portenta. Simul n. ac au-  
dita fuerint, in ventos abibunt ac fumos, neq; quidquam efficere aliud  
possunt, praeter dedecus & infamiam, quam suis inurunt auctoribus.  
Universa n. Germania, quin Gallia quoq; contrarium jampridem te-  
statur. Si quis verò commentorum hujuscemodi vanitatem cogno-  
scere aveat, illum ad B. Gerhardi Confessionem Catholicam (g) & D. Mulleri  
Lutherum defensum (b) ablegamus. Missis proinde fabulis, & valere jussis  
nugamentis pariter ac nugivendulis, penitus inquiramus in causas,  
propter quas Deo gratias agere debeamus circa hos anni dies. Sunt v. multo  
plurimae, & quae chartae hujus angustiis includi nullatenus possunt,  
majoribus lucubrationibus relinquendae,  
&

524

(e) Comm. 2. Pet. II. v. 12.

(f) lib. IV. de Eccl. c. 14. 5. Rursum.

(g) part. generat. p. 922. seqq. (b) pag. 6. 361. seqq.



& integris explicandae voluminibus. Una sufficere nobis potest, quod scilicet à Cimmericis illis tenebris & horrendâ prorsus caligine, quâ tantum non totus orbis ante Lutheri tempora inhorruit, per hujus ministerium liberavit nos Deus benignissimus, & verbi sui purissimi purissimâ luce collustravit. Fuerunt a. tenebrae illae non unius generis. Quaedam enim fidei nostrae mysteria involvebant, quaedam v. reliqua studia, quibus exerceri animus humanus solet. De illis Theologi dispiciant quibus facem praelucet B. Gerhardus, qui ἐξ οὐρανῶν δεξῶν, ac domesticis Papicorum testimoniis doctrinae in Rom. Ecclesiâ ante Lutherum corruptionem prolixè ac solidè dudum demonstravit, (i) ut nihil heic de laudatissimo aliorum studio circa hoc argumentum moneam. Satis videbimur fecisse officio nostro, si demonstravimus, quam crassae ac foedae tenebrae antehac, & priusquam fidei Christianae Sol patriae nostrae illuxit, rem litterariam involverint. Et si enim non adferimus, rei illius litterariae splendorem, qui post Lutherum exortus est, vendicandum unicè huic esse: nemo tamen Historiae Ecclesiasticae peritior paulò infitias ibit, illum ipsum adjumento fuisse insigni ac luculento B. Viro ad eruendam è spississimâ *στυγγοδόξιας* ac superstitionis Romanae caligine veritatis divinae lucem ac fulgorem, ansamq; eidem dedisse, ut omni molimine conniteretur, quò litterarum studiâ pristino nitore in Scholis, Gymnasiis & Academiis restituerentur. Quemadmodum enim *Φωσφόρος* prodromus est Solis ex thalamo post paulò prodituri; ita litterarum humaniorum aurora subsecuturam Religionis ac dogmatum emendationem indubitanter portendebat. Neq; tam obesae naris nonnulli Pontificii jam olim Erasmi tempore fuerunt, ut nihil illis hujusce rei suboluerit. Hinc enim tantum in Erasmus ac Reuchlinum illos succendebat odium, de quo passim ille conqueritur: & refert Hottingerus, Philologus celeberrimus, Theologusq; primae inter Reformatos notae, (k) habere se ad manus epistolam Erasmi, ex auctoris autographo descriptam, in quâ inter alia haec habeantur: Bonnae est quidam Franciscanus, nomine Nicolaus Herborn. Is Antverpiae emisit librum. In eo libro nulla mica est, nec ingenii, nec facundiae, nec ullius eruditionis, ac ne pie quidem mentis ullum est vestigium. In quadam pagella, praeter alia vitia, scribit haec: Lutherus magnam Ecclesiae partem ad se traxit, nonnullam Zwinglius & Oecolampadius, MAXU-

(i)  
loc. cit. à pag.  
93. usq; ad p.  
147.

(k)  
Hist. Eccles.  
secul. XVI p.  
286.

MAXU-



MAM ERASMIUS. Et addit: bonum esset, si natus non fuisset homo ille  
 In altera vocat Lutherum, Zwinglium & Oecolampadium *milites Pio-*  
*lati*, qui crucifixerunt Christum, me (Erasmum) illis annumerans,  
 addensque, me eodem spiritu, eodemq; consilio scripsisse, quo scripse-  
 runt illi; nihil interesse, nisi, quod ego jocos, illi serio rem agunt. Ad-  
 jecit porro dictum de melioribus Monachorum dictis; scil. *me (E-*  
*rasmum) posuisse ova, Lutherum ac caeteros exclusisse pullos. &c.* Et  
 Ludovicus Vives, quo decedente doctior nemo in Hispania superfuit,  
 censo Jovio, (l) de causis corruptarum artium (m) ita scribit: Nec  
 satis illis fuit, haec ignorasse, & ab eorum cognitione arcuisse alios  
 pro virili parte sua, etiam infamarunt teterrimi criminis, ne quis vel-  
 let propius accedere metu contagii. Ajunt, *linguas errorum esse quod-*  
*dam velut seminarium*. Haec ille. Ex quibus stolculis patet, quae spe-  
 randa messis à patribus illis sanctae ignorantiae fuerit. Spicilegium  
 saltem ejus rei instituamus. Incipiemus a. ab Etymologia. Sic enim,  
 juxta Hottingerum in pentade Dissertationum miscellarum (n) Mo-  
 nachis AVE dicitur quasi SINE VAE EVAE; *pauper* quasi *parum ha-*  
*bens*; *mendicus* quasi *manu dicens*; *diadema* quasi *duo demens*; *Mono-*  
*stellitae* (dicere debebant Monothelitae) à *monos* unum, & *stelos* vo-  
 luntas; *Paphnutius* quasi *Pannutius*, quia vilibus pannis erat indutus;  
*abyssus* à particulâ privativa *a*, & *byssus*, quod est genus candidi lini.  
 Item *Korban*, quod est locus, ubi ponebantur pro peccato oblata Sa-  
 turnalium. (o) Sic *locusta* dici illis tenebrionibus videtur, quasi *habens*  
*longos pedes sicut hasta*. Sed, ne lotii, sit honor verbo, stillicidium  
 istis è Tartaro evocatis etymologiis cuiquam excitemus, manum de  
 tabula. Non possum tamen, quin unum adhuc dumtaxat tetrae illius  
 caliginis vestigium subjiciam. Guilielmus Durandus, vel, Durantes, E-  
 piscopus Mimatensis, & primae caveae Ictus, in Rationali (quod ita  
 vocat) divinorum officiorum (p) haec habet: Est *Alleluja* Hebraicum  
*nomen*: vocabulum siquidem significans potius, quàm exprimens in-  
 effabile gaudium ab hac vitâ peregrinum &c. Cujus verbi expositio  
 secundum Innocentium III. ex CXII Psal. habetur, cui cum *Allelu-*  
*ja* praemittatur in titulo, statim Psalmista, exponendo titulum, inci-  
 pit: *Laudate pueri Dominum*. Unde secundum eum *Halleluja* in-  
 terpretatur: *Laudate pueri Dominum*. Augustinus v. sic exponit: *al-*  
*h. e. saluum, le h. e. me, lu h. e. fac. ja h. e. Domine*. Hieronymus sic: *Al-*  
*h. e.*

525

(l) in elog. doi  
vir. p. 141.

(m) lib. 2. p. 79.

(n) p. 109.

(o) Vide Ar. hi  
diac. dist. 16.  
17.

(p) fol. 58.



*h. e. cantate, lu h. e. laudem, ja h. e. ad Dominum. Gregorius sic: Alle h. e. pater, lu h. e. filius, ja h. e. Spiritus Sanctus: vel: Alle h. e. lux, lu h. e. vita, ja h. e. salus.* Magister Petrus Anthiodorensis sic: *Al h. e. altissimus, le h. e. levatus in cruce, lu h. e. lugebant Apostoli, ja h. e. jam surrexit.* Petrus Manducator dicit super Apocalypsin, & Augustinus in glossa Psalterii, quod *alla* verbum est Imperativi Modi, & sonat *allelu h. e. laudate, ja h. e. universalem, vel ja h. e. invisibilem &c.* En Philologos ac Polyhistoras! Quid v. caeteri statuerint, disquirere jam non placet. Hoc saltem monemus, D. Hieronymo, linguae sanctae scientissimo, manifestam fieri injuriam à durae cervicis Durando. Et etiamsi Augustinus Ebraei idiomatis gnarus non fuit, tantopere tamen circa hanc vocem illum non ineptuisse, ex multis ejusdem locis patet, (q) in quibus illam exponit: *Laudate Deum, vel, Laudate*

(q)  
*In exposit. in epist. B. Job. et. 8. & libr. homiliar. bo. mil. 16. Serm. de temp. sermon. 151. 152.*

(r)  
*In annot. ad Psal. CXIII.*

(s)  
*Lib. 2. part. 1. et. 2. sect. 3. p. m. 437.*

(t)  
*Comm. in Apoc. non procul ab init.*

*Dominum.* Anthiodorensis expositionem ridet etiam D. Quistorpius alicubi, & falsè quidem, (r) nec non D. Glasius in Philologia sacra, (s) quamquam neuter auctorem laudat. Veniam mihi date, quae so, quot quot lecturi haec estis, quod, praeter fidem datam, Graecae quoque literaturae specimina nonnulla, à Papaeis ante Lutheri aetatem edita, adtexam. Idem Durandus in Rationali suo, vocem *σύμβολον* derivat à *σύν*, quod est *cum*, & *βόλον* h. e. *sententia*. (Sed lectum admisi risum teneatis amici. Quis n. Lexicographus isthanc huic voci significationem adsignavit?) Additque statim etymologiae rationem, quod scilicet Symbolum Apostolicum compositum sit ex diversis verbis Apostolorum: sicut pueri in festivis convenientes afferre solent *bolos* h. e. frustra carniū & panis, quae in unum collecta *symbolum* vocantur h. e. collectio minutiarum. Crediderim propemodum, hominem *βόλων* τῶν ὀδόντων cum Veterinis quibusdam laborasse, cum haec in chartam conjecit. Glossator Decretorum Papalium ἀποκρυφον deducit ab ἀπὸ h. e. *de* & κρυφον h. e. *secretum*. Ita torquet notissimū vocabulum Apocryphianus h. e. Romanae Ecclesiae à secretis, [ut Isidorus explicat,] extra κρυφον omnem abreptus. Pareus etiam (t) Monachum producit, qui ἀποκάλυψιν derivat ab ἀπὸ h. e. *re*, & κλυψον, aris, h. e. *velo*, ut ita ἀποκάλυψις sit *revelo*. Sed satis nugarum de Etymologia. Quoad Syntaxin eadem fuit fors Cleri Romani. Audite, vel spectate potius Testamentum sutoris cujusdam à Sacrificulo Anglo Latine conditum, & ex archivis Collegii Magdalenensis Oxonii à Gabriele

Po.



Povelio (u) transcriptum. Est autem hoc: *In Deum nomine Amen. Deus* (u) *526*  
 (Deo) *animam; corpus terram (terrae) bos super Ecclesiam (templo.) Al-* in lib II. diff.  
*tare (arae) vitulus, & tibi tritulus, viginti par sotularibus dispersit, dedit* de AntiCbr  
*pauperibus: reliquis & reliqua, intus & extra, uxor & filia. Johannes* sto p. 589.  
 Murmelius haec habet: Quidam (scil. Clericus Papaeus) in convictu  
 multorum, caeteris Latinè garrientibus, quum solus diu vel obmu-  
 tuisset, vel Germanicè prolocutus esset, tamen potu victus, ut se quoque  
 olim in ludo fuisse ostenderet, nobis audientibus, quis, inquit, est se-  
 ipsum? pro eo, quod est, quis est sui ipsius, vel, quis est sui juris? Et Hein-  
 ricus Bebelius (x), conveni, inquit, sacerdotem quemdam Italicum (x)  
 in Oeniponte, qui erat cum exulibus Mediolanensibus, & coepi per- in faciliis ser-  
 contari de novitatibus Italiae; ille verò averso vultu stans ait: Non is.  
 intelligo: non ego sum sacerdos ad Grammaticam. Ego, ad quid es  
 sacerdos? dixi. Respondit ille: ad tria Missa. Ego in eodem genere  
 quaesivi, ad qualia? Respondit de B. Virgine, Spiritu Sancto, & pro  
 defunctis. Dixi ego: vade ergò in pace cum tua tria Missa. Neque est,  
 quod putes, paucissimos tales fuisse, reliquis ergò eandem dicam  
 scribi non posse. Audiamus Ludovicum Vivem (y) ita loquentem: (y)  
 quando de lingvis desperaverant (Doctores ac Professores publici) loc. cit. p. 77.  
 tum auditores suos ad omnia, quae traderentur, seqvaces, tum popu-  
 lum minimè repugnantem, in eam opinionem adduxerunt, ut *CUL*  
*Tu illo atq; ornatu sermonis magnas atq; excellentis arteis tradi non posse,*  
 haberent persuasum: quidquid suo illo more foedè ac sordide tradi-  
 tum, id demum esse ex disciplinis altissimis ac praecellentibus. Quo-  
 ties illud mihi Johannes Dullardus ingessit: Quantò eris melior  
 Grammaticus, tantò pejor futurus es Dialecticus & Theologus. Haec  
 ille. Immo Alphonsus de Castro, Pontificius acerrimus, non erube-  
 scit fateri (z) multos Pontifices adeò fuisse illitteratos, ut etià Gram- (z)  
 maticam ignoraverint. Quid miremur itaq; magnopere, si ad Regis Advers. hae-  
 exemplum totus compositus orbis fuerit? Et quid multis opus est? ref. lib. 1. c. 4.  
 Evolvat, quisquis adhuc de barbarie hac ambigit, Philolophorum  
 Medicorum, Juratorum ac Theologorum lucubrationes, ante Luthe-  
 rum luci publicae expositas, & videat, num in numerum cogi Soloe-  
 cismi ac barbarismi possint. Haec ergò, quam delineavimus hactenus,  
 facies fuit litterati orbis, antequam abstergerentur paulatim sordes  
 & gravcolentia barbariei excrementa, eorum cumprimis operà, qui  
 cum



(α)  
lib. XII. epist.

(β)  
Tom. III. op.  
Th. in praefat.

eum Luthero meliora artium ac lingvarum fundamenta insveverant. Agnoscit hoc Erasmus dum (α) ad Rectorem Academiae Erfurtinae scribit: Non est hujus conditionis, nec hujus ingenii, de Lutheri doctrinâ pronunciare: HACTENUS CERTE PROFUIT MUNDO. Quin Martinus Becanus, Jesuita celeberrimus (β) hac de re ita: Multi Catholici per Lutheranos de somno excitati sunt &c. Sed haec in discipulorum gratiam (doctioribus n. jam pridē sunt notissima) collegisse, sufficiat. Ansam v. nobis dedit piissimus ac laudatissimus Nobilissimi adolescentis, GEORGII DIETERICI PFLUGII, Equitis Misnici, conatus, quo *B. Gerbardum*, Celeberrimi nominis Theologum, cum *D. Luthero* conferre in quibusdam partibus connisus fuit. Et si enim non ignoravit, exquisitissimis laudum publicarum flosculis ILLUM in diversis Academiis ornatum ante annos hos XXI. fuisse, & ab iis quidem VIRIS, quorum vel umbram meritò venerantur studiosi adolescententes, scilicet à *Justo Fewrbornio* SS. Th. D. & P. P. Marburgensi; *Salomone Glasio*, SS. Th. D. ac tum Academiae Jen. Rectore Magnifico; *J. Michaele Dilberro*, Theologo ac Philologo longè celeberrimo; ac praeterea à *M. Michaele Schneidero*, tum Coll. Phil. Witeb. Adjuncto, & SS. Th. Cand. dignissimo, aliisque fortassis, de quibus nihil inaudivimus hactenus: pietati tamen proximè accedere arbitratus fuit, ad amplissimos illos turis acervos farris pauxillum pro viribus adjicere, atque ita Plurimum - Venerabilium & Amplissimorum DNN. INSPECTORUM favorem eundem, quo profecuti antehac fratrem natu majorem, *Nobilissimum ac Strenuum Dn. BERNHARDUM PFLUGIUM*, Astracae, tenus hac ac Themidos sacra Witeb. frequentantem, fuerunt, ambire, procare, & ut spes est, in sese quoque derivare. Prohibita die crastinâ sub ipsum secundae pomeridianae auspiciis, & quae meditatibus intra museum fuit, publice ex cathedrâ recitabit. Adeste igitur, VIRI MAGNI, amplissimoque VESTRO confesfu adolescentem, amore VESTRO non indignum, ad majora excitare. Adeste etiam, quod obnixè rogo, alii Docti, & aequitate ac benevolentia Vestra abundè probate, Vos non *B. Gerbardum* tantum, & *D. Lutherum* venerari, sed amare quoque omnes, qui quantum in ipsis est, UTRIUSQUE honoribus velificantur, P. P. VI. EID. Novemb. 1618.

QK Ta 670

W 22

110





(a)  
*Ræstius in Pseudojubil. Job. Naso in Cent. Evang. verit. Genebrardus in Chron. l. 4. p. 1105. Gresserus in Luth. Acad. cap. 26. p. 298.*

(b)  
*Serarius cap. VI. Tob. 9. 4.*

(c)  
*Job. Wierus de praestig. Daem. lib. 3. c. 23.*

(d)  
*fol. 378.*

curret ill  
 D. Luth  
 clo CCC  
 & ampli  
 Christi  
 plioresq;  
 nostris,  
 gnaris, q  
 Papaeor  
 transvor  
 lō periti  
 storum  
 randis Sc  
 lavit, sed  
 omnibus  
 ex incub  
 modò è  
 Witeber  
 fronte,  
 chronolo  
 Staphylu  
 oculis vi  
 ceptum,  
 dem exc



sunt, quam-  
 iasticas dumta-  
 hedras anima-  
 eant. Si enim  
 Calendaria, oc-  
 id. Novemb.  
 s Christianae  
 aq; majora sunt  
 ctissimam orbi  
 tē majores am-  
 s, eoq; eniti, ut  
 rum nondum  
 ne putidissimis  
 Luthero fabulis  
 tur Qvis n. pau-  
 dos illos clau-  
 r, quam è vene-  
 Lutherus instil-  
 am aut invisam  
 iant. Modò n.  
 lam famulā, (b)  
 civis cujusdam  
 Lutherum sine  
 nerus in tabulis  
 scit, Fridericus  
 jecit, quod suis  
 eribus tunc ex-  
 etur; & ita qui-  
 stii exitu, semi-  
 mor-



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
 Centimetres

**Kodak**  
 LICENSED PRODUCT  
 Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black